

18. Qui duas⁶ sorores duxit, aut consobrinam⁷, clericus esse non potest.

19. Clericus qui se fidei iussorem dat⁸, deponitur.

20. Si quis humana violentia eunuchus factus est, aut in persecutione amputata ei sunt virilia, aut ita natus fuit, et dignus est: efficitur episcopus.

21. Qui sibi⁹ ipsi virilia amputavit, clericus non efficitur: sui enim ipsius homicida est, et inimicus creationi Dei.

22. Si quis cum clericus esset, virilia¹⁰ sibi ipsi amputaverit, deponitur: homicida etenim sui ipsius est.

23. Laicus qui seipsum¹¹ mutilavit, per tres annos a communione ejicitur: puta, quia ipse vite sue posuit insidias.

24. Episcopus, aut presbyter, aut diaconus in fornicatione aut perjurio¹², aut furto deprehensus, deponitur, non tamen a communione excluditur. Dicit enim scriptura: Bis de eodem delicto vindictam non exiges. Eidem conditioni consimiliter et reliqui clerici subduntur.

25. Ex his qui celibes in clerum pervenerunt jubemus, ut lectores¹³ tantum et cantores, si velint, nuptias contrahant.

26. Episcopum aut presbyterum, aut diaconum, qui vel fideles delinquentes, vel infideles injuriam inferentes percussit, et terrorem ipsis per hujusmodi vult incutere, deponitur precipimus: nusquam enim Dominus hoc nos docuit. Imo vero contra, cum ipse percuteretur, non repercutiebat: cum lacesseretur conviciis, non regerebat conviciis: cum pateretur, non comminabatur.

27. Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, ob certa crimina juste depositus, attingere ministerium, quod aliquando tractaverat, ausus fuerit: omnino hic ab ecclesia absconditur.

28. Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, pecunia¹⁴ intervenit hanc dignitatem nactus fuerit: deponitur tam ipse, quam qui eum ordinavit, et omnino a communione absconditur: quemadmodum Simon Magnus a me Petro.

29. Si quis episcopus secularium magistratum familiaritate usus, per¹⁵ ipsos ecclesiam nactus fuerit: deponitur: segregantur quoque a communione, quicumque cum ipso communionem habent.

30. Si quis presbyter proprium aspernans episcopum, seorsim conventicula¹⁶ egerit, et altare erexerit, cum de nullo crimine episcopum in pietate, ac iustitia condemnarit, deponitur: quasi qui principatum ambiat, tyrannus enim est. Consimiliter et reliqui clerici qui suum illi calculum apponunt. Laici vero a communione segregantur. Atque hæc post unam, et item alteram ac tertiam episcopi exhortationem fiunt.

31. Si quis presbyter, aut diaconus, per episcopum a communione exclusus sit: hunc nequitiam ab¹⁷ alio fas esto suscipi, quam ab eo qui ipsum a communione exclusit: nisi forte fortuna episcopus qui ipsum a communione segregavit, defunctus sit.

32. Nemo peregrinorum episcoporum, aut presbyterorum, aut diaconorum, sine commendatitiis¹⁸ suscipitur hieris: et si eas obtulerit, attentius in disquisitionem vocantur. Et quidem si prædicatores pietatis fuerint, suscipiuntur: sin minus, ubi necessaria ipsis suppeditaveritis, ad communionem et ulteriorem ipsos consuetudinem non admittite, multa enim per obreptionem fiunt.

33. Cujusque gentis episcopus oportet scire qui nam inter ipsos primus sit, habereque ipsum quodammodo pro capite, neque sine illius voluntate quidquam agere insolitum, illa autem sola quemque pro se tractare, quæ ad parochiam ejus, et loca ipsi subdita attinent. Sed neque ille citra omnium voluntatem aliquid facit. Ita enim concordia erit, et Deus glorificabitur per Dominium in sancto Spiritu.

34. Episcopus extra terminos suos in civitatibus et regionibus sibi non subjectis, ordinationes facere non præsumit. Si vero præter voluntatem eorum qui civitates illas aut regiones detinent, id fecisse convictus fuerit, deponitur tam ipse, quam etiam hi quos ordinavit.

35. Si quis ordinatus episcopus ministerium et curam populi sibi commissam non susceperit: hic a communione sejunctus esto tandiu, donec susceperit: (obedientiam accommodans. Similiter autem et presbyter et diaconus.) Si vero non præ voluntate sua, sed præ malitia populi non susceperit, maneto ipse quidem episcopus, clerus vero ejus civitatis a communione segregator, eo quod tam inobedientem populum non corripuit.

36. Bis¹⁹ in anno episcoporum celebratur synodus, et pietatis inter se dogmata in disquisitionem vocantur, neque non in ecclesiis incidentes,

6. L. 8, C. de incest et inuol. nupt. — 7. L. 29, C. de nupt. — 8. N. Just. 123, c. 6; N. Leon. 86. — 9. Can. 22, 25, infr. — 10. Can. 21, supr. — 11. d. Can. 21, supr. — 12. N. Leon. 6. — 13. N. Just. 6, c. 8, et 22, c. 42. — 14. L. 42, § 9, C. de episcopis; N. Just. 123, c. 6; N. 157, c. 2, in fin. — 15. d. c. 26, d. c. 2, in fin. — 16. L. 15, C. de episcopis. — 17. Can. 12, supr. — 18. d. Can. 12, supr. — 19. N. 125, c. 10; N. 157, c. 4. — 20. Tit. C. de epis. aud.

contradictiones dirimunt: semel quidem quarta feria Pentecostes, secundo duodecima Hyperberetæ.

37. Omnium²⁰ rerum ecclesiasticarum curam episcopus gerit, et eas dispensato quasi inspectante Deo, non licitum autem ei esto quippiam ex iis sibi tanquam proprium assumere aut cognatis suis elargiri²¹, quæ Deo dedicata sunt. Quod si pauperes illi sint: ut pauperibus ministrato, non tamen horum prætextu res ecclesiæ venudato.

38. Presbyteri et diaconi, absque voluntate episcopi nihil peragunt, ipsius enim fidei populus Domini commissus est, et pro eorum animabus ab ipso repetetur ratio.

39. Manifestæ²² sunt privatae res episcopi, (si modo et privatas habet) manifestæ item sunt Domini: ut privatas quidem res episcopus, cum moritur quibus vult, et quomodo vult, relinquendi facultatem habeat: neque occasione ecclesiasticarum rerum interdicantur res episcopi, qui nonnunquam uxorem, et liberos, aut cognatos, aut servos habet: justum est enim apud Deum pariter et homines, simul ne ecclesia per ignorantiam rerum episcopi damni aliquid sustineat, simul ne episcopus aut cognati ejus prætextu ecclesiæ oblaendantur, aut etiam qui illum generis proximitate contingunt, incidant in negotia ejusque mors implicetur diffamationibus.

40. Præcipimus, ut episcopus res ecclesiæ in potestate habeat. Nam si pretiosæ hominum animæ fidei ejus committendæ sunt, multo utique magis oportuerit, et de pecuniis mandatum dare, ut illius arbitratu dispensentur, neque non cum timore Dei, summaque sollicitudine per presbyteros ac diaconos erogentur in pauperes. Percipiat autem et ipse (si modo indiget) quantum ad necessarios suos, et hospitio exceptorum fratrum usus opus habet, ne quo modo ipse posteriore loco habeatur, quam ceteri. Ordinavit enim lex Dei, ut qui altari inserviant, de altari nutriantur: quando nec milites unquam suis stipendiis arma hostibus inferant.

41. Episcopus, aut presbyter, aut diaconus qui vel alea²³, vel ebrietas indulget: vel desinito, vel deponitur.

42. Subdiaconus, aut cantor, aut lector qui consimilia facit, vel desinito, vel a communione sejungitur: similiter et laici.

43. Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui usuras a mutuum accipientibus exigit, vel desinito, vel deponitur.

44. Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui cum hæreticis precibus²⁴ conjunxerit, duntaxat a communione suspenditur: si vero etiam ipsos tanquam clericos aliquid agere permiserit, deponitur.

45. Episcopus, aut presbyter, qui hæreticorum baptisma, aut sacrificium susceperit, deponitur precipimus. Quæ etenim conventio inter Christum et Belial? aut quæ particula fidei cum infidelis?

46. Episcopus, aut presbyter si eum qui verum baptisma habeat, iterum²⁵ baptizaverit, aut pollutum ab impiis non baptizaverit, deponitur: ut qui crucem et mortem Domini derideat, neque discernat veros sacerdotes a sacerdotibus impostoribus.

47. Si quis laicus cum suam a se uxorem abicit, alteram duxerit, aut ab alio dimissam: a communione segregator.

48. Si quis episcopus aut presbyter secundum ordinationem Domini non baptizaverit in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, sed in tres principio carentes, aut tres filios, aut tres paraclitos: deponitur.

49. Si quis episcopus aut presbyter, in una initiatione non tres immersiones, sed unam duntaxat quæ in mortem Domini detur, peregerit: deponitur. Non enim dixit Dominus, In mortem meam baptizate: sed, Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti.

50. Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quisvis omnino de sacerdotali consortio, nuptiis, et carnibus et vino abstinuerit: non propterea quo mens ad cultum pietatis reddatur exercitator, sed propter abominationem²⁶: oblitus, quod omnia pulcra valde, et quod masculum et feminam Deus creavit hominem, sed diffamationibus lacessens creationem Dei vocat ad calumniam: aut corrigitor, aut deponitur, et ex ecclesia rejicitur. Consimiliter et laicus.

51. Si quis episcopus, aut presbyter, eum qui a peccato revertitur²⁷, non recipit, sed rejicit: deponitur, eo quod Christum offendat qui dixit, ob unum peccatorem qui respiscat, gaudium oboriri in celo.

52. Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus carnibus²⁸ et vino festivis diebus non utatur: idque per abominationem, non propter exercitationem ad cultum pietatis, deponitur, tanquam qui cauterio notatam habeat conscientiam, et multis author sit offendiculi.

21. N. 120, c. 5, § 1; N. 137, c. 15. — 22. L. 10, l. 54, C. de episcopis. — 23. N. Just. 123, c. 10; N. Leon. 87. — 24. Can. 10, supr. — 25. L. 1, C. de sanctura baptisma. — 26. Can. 52, infr. — 27. Fac. L. ult. in fin. C. de summa Trinit. N. 109, c. 2. — 28. Can. 50, supr.

83. Si quis clericus in caupona cibum capere deprehensus fuerit: a communione excluditur: excepto tamen eo qui necessario in itinere in commune diverterit hospitium.

84. Si quis clericus episcopum contumelia affecerit, deponitur: principi enim populi tui non maledices.

85. Si quis clericus contumelia affecerit presbyterum, aut diaconum: a communione segregator.

86. Si quis mancum, aut mutum surdumve, aut cæcum, aut eum cui vitiosus incessus est subsannaverit: communione privator, consimiliter et laicus.

87. Episcopus, aut presbyter qui negligentius circa clerum, vel populum agit, neque in pietate eos erudit, a communione segregator. Si vero in ea socordia perseveraverit, deponitur.

88. Si quis episcopus, aut presbyter, clerico ex inopia laboranti necessaria non suppeditaverit, a communione rejicitur: sin perseverat, deponitur, ut qui fratrem suum necaverit.

89. Si quis falso inscriptos impiorum²⁹ libros, tanquam sacros in ecclesia ad populi et cleri corruptionem publicaverit, deponitur.

90. Si accusatio contra fidelem instituat de fornicatione, aut adultério, aut quacunque alia actione prohibita, et convictus fuerit: in clerum non perducitur.

91. Si quis clericus per metum humanum, vel Judæi, vel Græci, vel hæretici, negaverit, siquidem nomen Christi, ab ecclesia rejicitur: si vero nomen clerici, deponitur: penitentia tamen ductus, ut laicus recipitur.

92. Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut omnino quicumque ex sacerdotali consortio, comederit carnes in sanguine³⁰ animæ ejus, aut a bestiis abreptum, aut suffocatum, deponitur, hoc enim lex prohibuit. Sin vero laicus fuerit, a communione excluditur.

93. Si quis clericus, aut laicus, synagogam Judæorum, aut hæreticorum conventiculum ingressus fuerit, ut preces³¹ cum illis conjungat: deponitur, et a communione secluditur.

94. Si quis clericus in concertatione aliquem pulsaverit et uno ictu, ac pulsatione interemerit, deponitur, propter temeritatem suam. Sin vero laicus sit, aretor a communione.

95. Si quis Dominicum diem, aut sabbatum, uno solo dempto jejulare deprehendatur, deponitur: sin laicus, e communione ejicitur.

96. Si quis virginem sibi non desponsatam admota vi delinet: a communione suspenditur. Non licitum autem esto ei aliam ducere, sed eam detinetam quam sollicitavit quamvis pauperula sit.

97. Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, secundam ab aliquo ordinationem susceperit: deponitur tam ipse, quam qui ipsum ordinavit: nisi forte constet ordinationem eum habere ab hæreticis. Qui enim a talibus baptizati³² aut ordinati sunt, hi neque fideles, neque clerici esse possunt.

98. Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut lector, aut cantor sacram quadragesimam³³ Paschæ, aut quartam feriam, aut parasceven non jejnaverit, deponitur: præterquam si imbecillitate impediatur corporis: sin laicus sit, a communione privator.

99. Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus aut omnino, quicumque ex clericorum consortio cum Judæis jejnaverit, aut communem restum diem cum ipsis egerit, aut lautia festi, nempe azyma, aut aliud hujus generis, ab eis susceperit, deponitur: si laicus, a communione segregator.

100. Si quis Christianus oleum³⁴ ad sacra gentilium, aut in synagogam Judæorum in festis eorum detulerit, aut lucernas incenderit: a communione excluditur.

101. Si quis clericus, aut laicus, ceram, aut oleum ex sancta surripiat ecclesia: a communione sejungitur.

102. Vas aureum et argenteum sanctificatum, aut velamen linteumve,

29. Fac. L. 6, § 1, C. de hæreticis. — 30. N. Leon. 58. — 31. Can. 10, 11, 44, supr. — 32. Adde Can. 46, supr. — 33. L. 6, C. de feriis. — 34. Fac. L. 5, § 2, D. de donat. inter vir et uxor. — 35. N. 137, c. 1. — 36. Can. 6, supr.; L. 52, C. de episcopis; N. Leon. 86. — 37. L.

nemo amplius in suos usus assumit, iniquum enim est. Cæterum si quis deprehensus fuerit, excommunicatione mulcator.

103. Episcopum de aliquo per fide dignos accusatum homines, ab episcopis vocari necessarium est. Et si quidem comparuerit, et confessus convictusque fuerit, censura irrogator ecclesiastica. Si vero vocatus non obtemperaverit, secunda quoque vice vocatur, missis duobus ad ipsum episcopis. Quod si per contumaciam ne sic quidem comparuerit: synodus suam contra ipsum pronuntiata sententiam, ne quid tergiversando detrectandoque iudicium lucrifacere videatur.

104. In dictione testimonii contra episcopum hæreticus non admittitur, sed neque fidelis, si solus sit. In ore enim duorum aut trium testium consistet omne dictum.

105. Item non oportet episcopum fratri, aut filio, aut alteri cognato, humano gratificari affectu: neque enim ecclesiam Dei conferre debet in hæredes. Enimvero si quis id fecerit, irrita permanet ordinatio; ipse autem excommunicatione percussor.

106. Si quis oculo defectus, aut obtuso crure existat, et dignus sit, episcopus efficitur; non enim mutilatio corporis ipsum polluit, sed inquinatio animæ.

107. Qui vero mutus, surdusve et cæcus est, episcopus non efficitur: non quia oblaeso corpore est, sed ne ecclesiastica impediatur munia.

108. Si quis dæmonem habeat, clericus non efficitur: sed neque cum fidelibus precibus fundito. Mundatus vero recipitur: et si dignus fuerit, efficitur.

109. Qui ex vita gentili advenerit, et baptisatus est, aut ex conversatione prava: justum non est eum protinus promoveri in episcopum. Injurium enim est, eum qui prius³⁵ non specimen et documentum de se præbuerit, aliorum doctorem existere, nisi alicubi dono divina gratia hoc fiat.

110. Dicimus, quod non oporteat episcopum, aut presbyterum publicis³⁶ se administrationibus immiscere: sed vacare et commodum se exhibere usibus ecclesiasticis. Animum igitur inducito hoc non facere, aut deponitur. Nemo enim potest duobus dominis servire, juxta præceptum Dominicum.

111. Servi³⁷ si in clerum promoveantur citra dominorum voluntatem, hoc ipsum operatur redhibitionem. Si quando vero servus quoque gradus ordinatione dignus videatur, qualis et noster Onesimus apparuit, et domini consenserint, manue miserint, et domo sua ablegaverint: efficitur.

112. Episcopus, aut presbyter, aut diaconus qui militia vacaverit, et simul utrumque retinere voluerit, tam officium Romanum, quam fractionem sacerdotalem, deponitur. Quæ enim Cæsaris sunt, Cæsari: et quæ Dei, Deo.

113. Quisquis imperatorem³⁸, aut magistratum contumelia affecerit, supplicium luito, et quidem si clericus sit, deponitur: si laicus, a communione removetur.

114. Sunt omnibus vobis, clericis simul et laicis, venerandi ac sacri libri: Veteris quidem Testamenti, Mosis quinque, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Jesu filii Nave unus, Judicum unus, Ruth unus, Regnorum quatuor, Derelictorum ex libro dierum duo: Hesther unus, De Machabæorum gestis tres, Job unus: Psalterium unus. Solomonis tres, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum: Prophetarum duodecim, unus Esaie, Hieremiæ unus, Jezechiel unus, Daniel unus. Inquiretur autem a vobis extrinsecus, ut adolescentes vestri addiscant, item Sapientiam eruditi Syrach. Nostra vero, hoc est Novi Testamenti, Evangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis: Pauli Epistolæ quatuordecim, Petri Epistolæ duæ, Joannis tres, Jacobi una, Judæ una, Clementis epistolæ duæ, et præceptiones quæ vobis episcopus per me Clementem in libris octo nuncupate sunt, quæ omnibus publicare non oportet, ob quædam arcana quæ in se continent: et actiones nostras Apostolorum.

37. L. 38, C. de episcopis; N. Just. 123, c. 17; N. Leon. 9, 10, 11. — 38. Adde Can. 54, supr. Tit. C. si quis Imperatori maledixerit.

FEUDORUM CONSUETUDINES.

LIBER PRIMUS.

TIT. I.

DE HIS, QUI FEUDUM DARE POSSUNT, ET (QUI NON:) ET QUALITER ACQUIRATUR, ET RETINEATUR.

Quia de feudis tractaturi sumus, videamus primum qui feudum dare possunt. Feudum autem dare possunt archiepiscopus², episcopus, abbas, abbatissa, præpositus, si antiquitus³ consuetudo eorum fuerit feudum dare. Dux, marchio⁴ et comes similiter feudum dare possant, qui proprie regni, vel regis capitanei dicuntur. Sunt et alii qui ab istis feuda accipiunt, qui proprie regis, vel regni valvasores dicuntur: sed hodie capitanei appellantur: qui et ipsi feuda dare possunt. Ipsi vero qui ab eis accipiunt feudum, minores valvasores dicuntur. — § 1. Et quia vidimus de personis: videamus qualia prius habuerunt initia. Antiquissimo enim tempore sic erat in dominorum potestate connexum, ut quando vellent, possent auferre rem in feudum a se datam. Postea vero eo ventum est, ut per annum tantum firmitatem haberent. Deinde statutum est, ut usque ad vitam fidelis⁵ produceretur. Sed cum hoc iure successione ad filios non pertineret: sic progressum est, ut ad filios deveniret: in quem scilicet dominus hoc vellet beneficium confirmare. Quod hodie ita stabilitum est, ut ad omnes equaliter⁶ veniat. — § 2. Cum vero Conradus Romanus proficisceretur, petum est a fidelibus⁷ qui in ejus erant servitio, ut lege ab eo promulgata, hoc etiam ad nepotes⁸ ex filio producere dignaretur, et ut frater fratri sine legitimo⁹ herede defuncto (vel filius) in beneficio quod eorum patris fuit, succedat. Sin autem unus ex fratribus a domino¹⁰ feudum acceperit: eo defuncto, sine legitimo herede, frater ejus in feudum non¹¹ succedit: quod etsi communiter¹² acceperint, unus alteri non succedit, nisi¹³ hoc nominatim dictum sit; scilicet ut uno defuncto sine legitimo herede, alter succedat, herede vero relicto, alter frater removebitur. — § 3. Hoc autem notandum est, quod licet filii, ut masculi, patribus succedant¹⁴: legibus tamen a successione feudi removeantur¹⁵, similiter et eorum filii¹⁶, nisi¹⁷ specialiter dictum fuerit, ut ad eas pertineat. — § 4. Hoc quoque sciendum est, quod beneficium ad venientes ex latere ultra fratres patruales non progreditur successione secundum usum ab antiquis sapientibus constitutum, licet moderno tempore usque ad septimum geniculum sit usurpatum: quod in masculis descendentibus, novo jure usque in infinitum¹⁸ extenditur. — Notandum est autem, quod illud beneficium, quod a regis capitaneis, atque regis, [vel regni] valvasoribus aliis impenditur, proprie jure feudi censetur. Illud vero quod a minoribus in alios transferunt, non jure feudi judicatur: (licet aliter in curia Mediolanensi observetur) sed quando¹⁹ voluerint, recte auferre queunt: nisi Romanum cum illis in exercitu perrexerint: quo casu in jus feudi transit, [et ad judicatur:] vel nisi aliquid propter feudum acceperint: tunc enim nisi²⁰ restituito pretio, auferre non possunt.

TIT. II.

[DE FEUDO GUARDIÆ ET GASTALDIÆ.]

Item illud, quod datur nomine gastaldi, vel guardiæ, et pro mercede alicujus rei², transacto⁴ anno, potest jure auferri, etiam pro merito pro eo

Tit. I. — 1. Fac. 2, feud. 1, circa fin. 2, feud. 84, 101. — 2. Tit. 3, infr. hic. — 3. Tit. 6, infr. 2, feud. 91. — 4. 2, feud. 10. — 5. § 2, infr. hic. tit. 4, in pr. et § 5, infr. — 6. Tit. 8, in pr. infr. — 7. § 1, supr. hic. — 8. Tit. 8, in pr. tit. 14, § 1: tit. 19, § 1, infr. — 9. Tit. 15, vers. et si clientulus, infr. 2, feud. 34, § 2. — 10. Tit. 8, in fin. infr. — 11. d. tit. 8, in fin. tit. 20, infr. — 12. Tit. 14, in fin. infr. — 13. d. tit. 14, in fin. et 20. — 14. L. 14, C. de legit. hered. § 3, vers. et hæc quidem, Inst. de legit. agnat. success. — 15. Tit. 6, § 1, tit. 24, infr. 2, feud. 30. — 16. 2, feud. 11, vers. ad filias. — 17. Tit. 8, § 2, tit. 14, § 2, infr. 2, feud. 39, 50. — 18. 2, feud. 50. — 19. 2, feud. 74, 81. — 20. Immo etia tit. prox. infr.

dato non restituito, nisi⁵ ad certum tempus datum fuerit. — § 1. Si vero gastaldi aliquid nomine proprii⁶ feudi possiderint, non valebunt propterea possessionem sibi defendere, nisi per pares curtis, vel breve testatum⁷ poterint probare, se, antequam gastaldi essent, vel postquam desierunt esse, investituram accepisse.

TIT. III.

[QUI SUCCESSORES FEUDUM DARE TENEANTUR.]

Si vero archiepiscopus¹, episcopus, vel abbas, vel abbatissa investituram ejus feudi, quod alius detinebat², eo tempore alicui dederit, ut post decessum ejus qui possidet, habeat: et ante decesserit archiepiscopus, quam ille qui feudum possidebat: successores eorum non coguntur³ eam investituram facere, vel confirmare, etiam si pares ejus curtis adsint testes, vel breve testatum⁴ inde sit: nisi ille, qui investituram acceperit, nomine ejus in possessionem missus feudi sit eo consentiente, qui detinet. Sed si ille, qui feudum possidet, prius decesserit, quam ille qui investituram fecit: jure cogitur eam ratam habere. Laici⁵ vero iisdem modis omnibus, quibus supra diximus, si aliis investituram dederint, heredes eorum, si rationibus claruerint, omnimodo eam adimplere compelluntur.

TIT. IV.

[SI DE INVESTITURA FEUDI CONTROVERSIA FUERIT.]

Si autem controversia inter dominum et fidelem de feudi investitura fuerit: quid juris sit, videamus. Et si investitura facta fuerit coram paribus curtis, aut in brevi testato: recte eum qui investitus est, cogitur dominum mittere¹ in feudi possessionem. Si vero fuerit in possessione: et mota fuerit ei controversia a domino: ei defensio² datur propter possessionem. Si autem non fuerit in possessione, nec supra dictis modis poterit probare: tunc illius erit defensio³, qui investituram dicitur fecisse. — § 1. Si vero feudum aliquis habuerit, de quo nulla controversia est, et dixerit investituram alterius feudi accepisse ab eodem domino, nec in possessione fuerit, nec prædictis rationibus probare poterit: licet domini esset defensio: ex ordine⁴ tamen, quia aliunde vasallus est, remittitur domino ex æqualitate defensio. — § 2. Cum autem quis dixerit feudum ad se per successionem pertinere adserendo, illud esse paternum⁵: si fuerit in possessione medietatis, vel alicujus partis, vel cambium⁶ proprietatis nomine illius feudi habuerit, vel aliis justis rationibus illud esse paternum probare poterit, jure obtinebit: si vero probare non poterit prædicto modo, dabitur ei defensio⁷ cum duodecim sacramentalibus⁸. — § 3. Item si vasallus possiderit castrum, quod dixerit se pro feudo tenere, et contra dominum per guardiam⁹ dixerit se ei dedisse, domini est probatio: et si poterit probare, tunc ille, qui tenet, domino debet restituere, vel probare per pares curtis, vel per breve testatum, postquam in guardiam suscepisset, se a domino pro feudo investituram accepisse. Domino vero in probatione deficiente, tunc illius erit defensio, qui possidet¹⁰. — § 4. Similiter si aliquis possede-

Tit. II. — 1. Tit. 4, § 3: tit. 10, in fin.; tit. 11, infr. 2, feud. 94. — 2. Tit. 10, infr. 2, feud. 94. — 3. Fac. 2, feud. 81. — 4. Tit. 11, infr. 2, feud. 94. — 5. Adde 2, feud. 81, 105. — 6. Fac. d. tit. 81. — 7. Tit. 3, tit. 4, § 3, infr. — 8. Tit. 1, in pr. supr. — 9. Tit. 9, 25, in fin. 27, infr. — 3. d. t. 15, in fin. 2, feud. 35. — 4. Tit. 2, supr. — 5. Fac. L. un. C. ut actiones et ab heredi. et contra. — 6. Tit. 11, in fin. 2, feud. 35. — 7. Tit. 12, in fin. 2, feud. 35. — 8. Tit. 12, in fin. 2, feud. 35. — 9. Tit. 12, in fin. 2, feud. 35. — 10. Tit. 12, in fin. 2, feud. 35.

rit castrum, vel aliam rem, et dominus dixerit se pro pignore ei dedisse: e contrario ille dixerit se accepisse pro feudo, si poterit domino probare, quod ei pro pignore dedisset: tunc ille qui tenet domino restituet, vel probet supradicto modo, se, postquam a domino pro pignore accepit, feudi nomine accepisse, et si dominus non poterit probare, se nomine pignoris dedisse, erit defensio illius, qui possidet. — § 5. Si quis de manso uno feudi nomine investituram acceperit, et dixerit, quod omne incrementum pertineat ad eum per investituram: si dominus reserverit sibi aliquid in ipsa curte, tunc oportebit fidelem incrementi investituram per pares curtis vel per breve testatum probare. Sed si dominus in ipsa curte nil sibi retinuit: tunc omne incrementum jure feudi fidelis obtinebit. Si vero fidelis in possessione incrementi fuerit, non oportebit ejus investituram probare, sed jurare. — § 6. Rursus si aliquis acceperit investituram feudi cum omni incremento, quod et obvenerit, et aliquid accreverit vivente eo, a quo acceperit, ipsius erit, et si ille, qui investituram fecit, sine herede decesserit, et feudum reversum fuerit ad eum, a quo ipse tenuerit, vel ad alium: quidquid post mortem ejus, qui dedit, accreverit, ad eum pertinebit, ad quem regressum fuerit.

TIT. V.

QUIBUS MODIS FEUDUM AMITTATUR.

Quia supra dictum est, quibus modis feudum acquiratur, et retinetur: nunc videamus, qualiter amittatur. Si enim dominus prælio campestre¹ habuerit et vasallus eum morantem in ipso prælio dimiserit non mortuum, nec ad mortem vulneratum: feudum amittere debet. Item si fidelis cucurbitaverit² dominum, id est cum uxore ejus concubuerit, vel concumberet se exercuerit, aut cum ea turpiter luserit, vel si cum filia, aut [cum nepte ex filio, aut cum nupta filii] aut cum sorore domini concubuerit, (hæc ita obtinent, si in domo domini maneant³) jure feudum amittere censetur. Similiter si dominum assallerit⁴, vel castrum domini, sciens dominum, vel dominam ibi esse. Item si fratrem suum⁵ occiderit, vel nepotem, id est filium fratris. Aut si libellario nomine amplius⁶ medietate in feudum dederit, aut pro pignore plus medietate obligaverit, ita ut transactum permittat: vel dolo hoc egerit, amissione feudi multabitur. His omnibus casibus feudum ad⁷ dominum revertitur. Rursus si fidelis minus medietate libellario nomine [feudum] dederit, et sine herede decesserit, et feudum ad dominum redierit, vel postquam ad libellum dederit, vel pignori obligaverit, et domino refutaverit⁸: tunc ille, qui ab eo acceperit, nullo jure adversus dominum se tueri poterit. — § 1. Præterea si ille, ad quem feudum per successionem jure obvenire debet, consenserit¹⁰ eos investire, ad quos secundum rectum morem non pertinet: nullo modo ad eum repetendum regressum habet. Item si fuerint duo fratres et unus investituram feudi acceperit: si postea feudum cum fratre dividerit, et ille, qui feudi partem accepit, postea feudum medietate vendiderit, et sine herede legitimo decesserit, feudum ad dominum revertitur. Item si quis feudum habuerit in curte domini sui: non poterit ipsum feudum in aliqua parte libellario nomine alicui sine consensu domini sui dare, vel pignori obligare. Similiter si extra curtem detineat, et dominus districtum habuerit vel alium honorem: si alienaverit sine voluntate, jure ad dominum revertitur.

TIT. VI.

[EPISCOPUM, VEL ABBATEM, VEL ABBATISSAM, VEL DOMINUM PLEBIS FEUDUM DARE NON POSSE.]

Item si episcopus, vel abbas, vel abbatissa, vel dominus plebis, feudum dederit de rebus ecclesiarum, quæ eis subjectæ sunt, et tituli vocantur: nullum habet vigorem, secundum hoc quod constitutum est a papa Urbano in sancta synodo, hoc est illud, quod post jus decretum fuerit datum: quod autem ante datum fuerit, firmiter permanere debet. Idem juris est, si sit præpositus (vel abbatissa,) vel alia ecclesiastica persona, quæ antiquitus¹ non sit solita in feudum dare: scilicet ut quod dederit, de jure non valeat. — § 1. Quietiam si quis eo tenore feudum acceperit: ut ejus descendentes masculi et feminae illud habere pos-

Tit. V. — 1. Tit. 17, infr. 2, feud. 24. — 2. d. tit. 17, 21, in fin. infr. 2, feud. 24, § 2: tit. 28, tit. 57. — 3. Tit. 17, infr. 2, feud. 24. — 4. 2, feud. 24, § 2, vers. rursus. — 5. d. § 2, vers. porro si dominum. — 6. 2, feud. 24, § 3, et tit. 37. — 7. Tit. 13, infr. 2, feud. 9, 52, 55. — 8. 2, feud. 57. — 9. 2, feud. 9. — 10. 2, feud. 26, § 5, vers. Titius. — 11. Tit. 1, 2, feud. 91. — 12. Tit. 8, § 2, infr. — 3. 2, feud. 36. — 4. Immo vide d. tit. 36. — 5. Tit. 11, in fin. 2, feud. 35. — 6. Tit. 1, in pr. supr. — 7. Tit. 1, in fin. 2, feud. 35. — 8. Tit. 1, in fin. 2, feud. 35. — 9. Tit. 1, in fin. 2, feud. 35. — 10. Tit. 1, in fin. 2, feud. 35. — 11. Tit. 1, in fin. 2, feud. 35. — 12. Tit. 1, in fin. 2, feud. 35. — 13. Tit. 1, in fin. 2, feud. 35. — 14. Tit. 1, in fin. 2, feud. 35. — 15. Tit. 1, in fin. 2, feud. 35. — 16. Tit. 1, in fin. 2, feud. 35. — 17. Tit. 1, in fin. 2, feud. 35. — 18. Tit. 1, in fin. 2, feud. 35. — 19. Tit. 1, in fin. 2, feud. 35. — 20. Tit. 1, in fin. 2, feud. 35.

sint: relicto masculo, ulterius² feminae non admittuntur. — § 2. Matrus³ feudum retinere non⁴ potest, scilicet qui nullo modo loquitur: sed si feudum fuerit magnum, quo ei ablati se exhibere non valeat: tantum ei relinquatur unde se sustinere possit. Et his omnibus casibus feudum amittitur, et ad dominum revertitur.

TIT. VII.

DE NATURA FEUDI.

Natura feudi hæc est, ut si princeps investierit capitaneos suos de ali quo feudo, non potest eos devestire sine¹ culpa, id est marchiones, et comites, et ipsos qui proprie² hodie appellantur capitanei. Idem est, si investitura sit facta a capitaneis, et majoribus valvasoribus qui proprie hodie capitanei appellantur. Si vero facta fuerit a minoribus³, vel minoribus valvasoribus, aliud est. Tunc enim possunt devestiri non habita ratione culpe: nisi fecerint⁴ hostem Romæ, tunc enim idem est in minimis, quod in majoribus valvasoribus: vel nisi⁵ emerint fundum: tunc enim pretium restituendum est: secundum antiquum et rationabilem usum. Moderni autem non ita subtiliter cernentes, dicunt idem observandum in minimis, quod dictum est in majoribus valvasoribus.

TIT. VIII.

DE SUCCESSIONE FEUDI.

Sequitur de successione feudi videre. Si quis igitur decesserit filiis et filiabus superstitibus: succedunt tantum¹ filii equaliter², vel nepotes³ ex filio, loco⁴ sui patris: nulla ordinatione defuncti in feudo manente, vel valente. — § 1. Hoc quoque observatur, ut si frater meus alienaverit partem suam feudi, vel fecerit⁵ investiri filiam suam, si moriatur sine herede masculo, nihilominus revertitur ad me⁶: et olim observabatur usque ad quartum gradum tantum secundum quosdam: hoc ideo, quia postea non vocatur feudum paternum. Alii autem dicunt usque ad septimum⁷ gradum. — § 2. Filia vero non⁸ succedit in feudo, nisi⁹ investitura fuerit facta in patre, ut filii, et filie succedant in feudum, (tunc enim succedit filia filiis non¹⁰ exstantibus) vel nisi investita fuerit¹¹. Hæc de hoc feudo paterno. In alio vero feudo, quod habuit initium tantum a fratribus, non¹² succedit unus alteri, sive una investitura, sive duabus: nisi¹³ hoc fuerit dictum expressum, ut alter alteri succedat.

TIT. IX.

QUI SUCCESSORES TENEANTUR.

Si quis investitus fuerit de alieno¹ feudo post mortem ejus, vel si quis fuerit investitus sub conditione aliqua, vel tempore quo nullus erat investitus: sive præmoriatur tenens feudum, sive investitor, sive investitus: investitor, et² investitoris heredes tenentur investito, vel heredi ejus veniente tempore vel conditione: licet alii dicant, si moriatur investitus antequam tenens feudum, vel ante conditionem existentem, vel ante tempus, quod heredes ejus non debeant investiri: nam si quis fuerit investitus pure de alieno feudo, non valet habita investitura. Hoc ita est, nisi fuerit facta ab aliqua ecclesiastica persona: tunc³ enim si præmoriatur investitor, antequam feudum tenens vel conditio, vel tempus existat: non obligatur successor illius: hoc probatur per legem Lotharii de precariis, et hoc intelligendum est in vasallis, qui feudi successionem⁴ non habent.

TIT. X.

DE CONTENTIONE INTER DOMINUM ET FIDELEM DE INVESTITURA FEUDI.

Si contentio fuerit inter dominum et fidelem de investitura feudi, per pares curiæ dirimatur: alii enim testes, etsi idonei sint, admittendi non sunt, inopia tamen probationum dirimatur per religionem clientuli possessoris⁵ feudi, vel cum duodecim sacramentalibus⁶, secundum quosdam.

— 4. Tit. 14, § 1, infr. — 5. 2, feud. 59. — 6. Vide tamen tit. 24, infr. 1, tit. 3, § 1, supr. — 7. 2, feud. 50. — 8. Tit. 2, § 3, supr. — 9. d. § 3. — 10. Tit. 6, § 1, supr. 2, feud. 17, vers. non enim; tit. 50, § 3, 104, § 1. — 11. Tit. 24, infr. — 12. Tit. 20, infr. — 13. Tit. 12, § 2, infr. — 1. Tit. 3, supr. — 2. Fac. § 4, vers. ex conditionalis, Inst. de verb. oblig. — 3. Tit. 3, supr. — 4. Fac. tit. 27, in fin. 2, feud. 26, § 2. — 5. Tit. 3, supr. — 6. Tit. 4, supr. — 2. d. tit. 4. — 3. d. tit. 4, § 5. — 4. d. tit. 4, § 2: tit. 28, infr.

Cæterum si dominus possideat, etiam per suum jusjurandum cum duodecim sacramentalibus, dirimatur: hoc ita, nisi clientulus sit gastaldus, vel actor domini, tunc enim tantum suæ, id est, domini religioni statur: nisi habeat testes pares idoneos, nam aliquando malignando multa bona auferuntur domino hoc modo, et hoc colligitur per legem, quæ est in titulo de acquisitione actorum regis in Lombardia. Idem dicendum est de guardia.

TIT. XI.

[DE PIGNORI DATO FEUDO QUID JURIS SIT.]

Similiter si quis voluerit dicere de pignore sibi dato se investitum esse, non credatur suo juramento, sed testibus idoneis paribus domus, vel curiæ. Insuper sciendum est feudum guardiæ, et gastaldiæ quacunque hora vult auferri posse a domino, scil. post annum.

TIT. XII.

DE CONTENTIONE [INTER ME ET DOMINUM DE PORTIONE] FEUDI FRATRIS [MEI] DEFUNCTI.

Si contentio fuerit inter me, et dominum de portione feudi fratris mei defuncti, dicendo paternum esse, et sic me debere succedere, ille vero minime, tanquam habuerim partem meam: sive possideo, sive alienavi, dabitur mihi jusjurandum, scil. patrem meum jure investitum fuisse: licet non possideam portionem fratris mei. Si vero nullam partem habuero illius feudi, nec mihi nec domino dabitur jusjurandum, nisi propter supradictam rationem domino non, ut ego propter hoc aliud meum feudum amittam. Si tamen vasallus poterit probare paternum fuisse, sive possideat, sive non, obtinebit: alioqui nisi probet paternum fuisse, vel nisi possideat, dominus obtinebit.

TIT. XIII.

DE ALIENATIONE FEUDI.

Si clientulus voluerit partem suam feudi alienare, id est, medium sine domini voluntate, poterit hoc facere: ulterius progredi non potest, secundum justum et verum usum: alioquin, et feudum amittit, et non valebit quod factum est. Quod dictum est alienare, intelligit de libello. [Huic consuetudini derogatum est per legem Lotharii.] Mediolanenses vero irrationabiliter considerantes dicunt clientulum etiam alienare posse in totum, et sine domini voluntate. Inde potest præsumi, si clientulus fecerit libellum in perpetuum de feudo suo alicui ecclesiæ, non valet: idcirco scilicet, quia nunquam reversurum sit ad dominum, cum ecclesia non desinat esse heres: quod observandum est (et) in privato ex natura perpetui libelli. Sed diversum observatur in ecclesiâ, quam in privato. Ecclesia enim cultrix et auetrix justitiæ non patitur contra justitiam aliquid fieri in se, vel in alterum: privatus vero sæpe obviat justitiæ. Et si clientulus fecerit libellum, vel aliud de medietate feudi sine domini voluntate: eo mortuo sine legitimo herede masculo (quod verbum ita intelligendum est in feudo, id est, sine filio masculo) revertitur feudum ad dominum. Si vero cum domini voluntate totum, vel medium alienaverit, stabilis permaneat alienatio, fratri vero vel nepoti per libellum facta alienatio, etiam sine voluntate domini. (Item in feudo comitatus, vel marchiæ, vel aliarum dignitatum non est successio secundum rationabilem usum: sed hodie non est usurpatum.)

TIT. XIV.

DE FEUDO MARCHIÆ, VEL DUCATUS, VEL COMITATUS.

De marchia, vel ducatu, vel comitatu, vel aliqua legali dignitate si

quis investitus fuerit per beneficium ab imperatore: ille tantum debet habere, heres enim non succedit ullo modo, nisi ab imperatore per investituram acquisierit.

1. Si capitanei, vel valvasores majores, vel minores investiti fuerint de beneficio: filii vel nepotes ex parte filiorum succedunt. Si vero unus ex his filiis, vel nepotibus sive descendantibus masculini sexus hereditus mortuus fuerit, prædicti fratres vel nepotes per investituram patris et avi in beneficium succedunt. Et similiter intelligendum est in consobrinis.

2. Si duo fratres simul investiti fuerint de beneficio novo, et non de paterno: si unus eorum sine descendantibus masculini sexus mortuus fuerit, dominus succedit non frater: nisi pactum fuerit in investitura, quod frater fratri succedat. Per pactum enim frater succedit, non dominus. Et quod diximus de fratribus, ut unus alii succedat per pactum: idem dicendum est de filiabus, si hoc pactum conciliet: et sic per pactum filia succedat.

TIT. XV.

AN MARITUS SUCCEDAT UXORI IN BENEFICIO.

Si femina habens beneficium (et maritum) moriatur: nullo modo succedit in beneficium maritus, nisi specialiter investitus fuerit. Et si ipsa femina filios dimiserit: dicunt quidam, filios non debere succedere in beneficium matris, nisi specialiter sit dictum, vel investiti fuerint: quia secundum usum regni ad beneficium vocantur paternum, et non maternum. Sed secundum æquitatem dicamus filios debere succedere. Hoc dicimus de capitaneis, et de majoribus valvasoribus, et de minoribus: de minimis autem et de iis, qui beneficium tenent a majoribus valvasoribus, sic servetur, sicut inferius dicemus.

TIT. XVI.

DE FEUDIS DATIS MINIMIS VALVASORIBUS QUID JURIS SIT.

Si minores valvasores beneficium tollere voluerint minimis valvasoribus, licet eis facere: excepto si beneficium vendiderint eis. Si vero pretium de beneficio acceperint, tunc aut pretium reddant, aut beneficium dimittant.

TIT. XVII.

QUIBUS MODIS FEUDUM AMITTATUR.

Si capitanei, vel majores valvasores, qui hodie vocantur capitanei (licet improprie dicantur minores) seniores in bello dimiserint, vel si credentiam ad eorum damnum scienter manifestaverint, si valvasores seniorum uxores adulteraverint, si scienter seniores assalierint, vel similes culpas commiserint: beneficio carere debent.

TIT. XVIII.

APUD QUEM VEL QUOS CONTROVERSIA FEUDI DEFINIATUR.

Si contentio fuerit de beneficio inter capitaneos, coram imperatore defini debet. Si vero fuerit contentio inter minores valvasores et majores de beneficio: in judicio parium definiatur, vel per judicem curtis.

Si aliquis de capitaneis, vel de majoribus valvasoribus, vel de minoribus suum beneficium, sive totum sive partem alienaverit, et ipse vel heres ejus sine herede decesserit: quia beneficium senioribus aperitur, totum quod fecit, revocari debet.

supr. — 4. d. tit. 1, § 3. Tit. XV. — 1. Feud. 13, 85. — 2. d. tit. 85. — 3. 1. feud. 50. — 4. Tit. proxi. infr. Tit. XVI. — 1. Tit. 1, in fin.; tit. 7, vers. si vero facta, supr. — 2. d. tit. 1, in fin. d. vers. si vero. Tit. XVII. — 1. Tit. 5, in pr. supr.; tit. 11, § 1, infr. 1. feud. 24, § 1. — 2. 1. feud. 6, vers. totum; tit. 7, vers. et si aliquid mihi; tit. 24, § 2, vers. item si delator; fac. L. 38, § 1, D. de pœnis; L. 6, § 4, D. de re milit. — 3. Tit. 5, pr. vers. item si fidelis, supr. — 4. d. tit. 5, pr. vers. similiter si dominus, 1. feud. 51, § 2. — 5. 1. feud. 24, § 2, vers. sed quia natura. Tit. XVIII. — 1. 1. feud. 46, in fin. — 2. Tit. 5, in fin. pr. et § 1, tit. 15, supr. 1. feud. 44 — 3. Adde 1. feud. 52, 55.

TIT. XIX.

CONSTITUTIONES FEUDALES DOMINI LOTHARII IMPERATORIS, QUAS ANTE JANUAM BEATI PETRI IN CIVITATE ROMANA CONDIDIT OBSERVANDAS.

Si quis ex militum ordine decesserit, qui de feudo investitus fuerit: ut constitutum habemus, observetur de beneficio, et successione, et culpis. Si unus inculpatus fuerit una de his nominatis culpis, ut habemus insertum, observetur per constitutionem domini Lotharii imperatoris, quæ est constituta tempore Eugenii papæ, ante januam beatissimi Petri apostoli in civitate Romana per laudamentum sapientum Papie, atque Mediolani, Mantuæ, Veronæ, quæ Brenus (alias Hybernus) vocatur, et Parmæ, Luca, et Pisæ et Syponi, et marchionum atque ducum vel capitaneorum atque valvasorum majorum.

(Imp. LOTHARIUS Eugenio papæ, et universo populo.)

Si quis miles mortuus fuerit sine filio masculo, et nepotem reliquerit, in beneficium avi in patris vicem succedit. Et si heredem, et fratrem reliquerit, in beneficium patris ipse succedit. Et si filius fratris mortuus fuerit, frater patris in beneficium sui defuncti succedat.

TIT. XX.

DE BENEFICIO FRATRIS, ET QUALITER FRATER IN BENEFICIO FRATRIS SUCCEDAT.

Si quis acquisierit beneficium et sine filio masculo mortuus fuerit et fratrem reliquerit: frater non succedat fratri, sed dominus (habeat, nisi per investituram a domino ordinatum fuerit, ut frater succedat fratri, si mortuus fuerit sine herede masculo: vel succedat frater fratri noverient sine filio: vel nisi beneficium de communibus bonis fuerit emptum. Vel utriusque nomine domino sciente: si insimul steterint: vel in hostem regis adquisierint.)

TIT. XXI.

DE FEUDO SINE CULPA NON AMITTENDO.

Sancimus, ut nemo miles sine cognita culpa beneficium suum amittat: si ex culpis iis, vel causis convictus non fuerit, quas milites usi sunt nominare, quando fidelitatem faciunt dominis suis: vel per laudamentum parium suorum: vel si dominis suis deservire noluerint, tunc conditio causa data proponitur ad repetendum feudum, ex quo non servit domino. Nam si steterit viginti annis et ultra quod non servierit domino: nisi necesse fuerit domino, feudum non amittit.

Si quis miles beneficium suum vendiderit totum sine (voluntate vel jussu) domini sui: ut proprium beneficium amittat decernimus, dominus vero habeat: vel si concubuerit cum uxore domini sui, domino vivente: vel si in pugna suum dominum dimiserit, et cum eo non laboraverit, si poterit.

TIT. XXII.

[QUO TEMPORE MILES INVESTITURAM PETERE DEBEAT.]

Sancimus, ut nemo miles ultra annum et mensem vadat, ut investituram beneficii sui a filio, vel successore domini sui petat, vel post mortem [domini sui, vel] patris sui, vel alterius, cui succedere debet: nisi justa causa intervenerit, quare non petierit: velati mortis, vel capitales inimicitie, vel infantia, vel justa absentia: et si (ut supra dictum est) non petierit, damnetur.

Si quis fecerit investituram, vel cambium de beneficio sui militis, sine illius consensu, cuius est beneficium: pro non facto habeatur.

Sancimus, ut nemo miles adimatur de possessione sui beneficii, nisi

Tit. XIX. — 1. Tit. 22, in fin. infr. — 2. 1. feud. 11. Tit. XX. — 1. Tit. 8, in fin. supr. — 2. Tit. 1, § 2, supr. 1. feud. 12. — 3. 1. feud. 12, in fin. — 4. d. tit. 13, in fin. Tit. XXI. — 1. Tit. 22, § 2, infr.; tit. 7, supr. — 2. 1. feud. 57, in fin. — 3. 1. feud. 6, 7, 97, in fin. — 4. Tit. 22, in fin. infr. — 5. 1. feud. 26, § 2, vers. licet vasallus; tit. 28, § 1. — 6. Fac. L. 9, pr. D. de condict. causa data. — 7. 1. feud. 26, § 2, vers. licet vasallus. — 8. 1. feud. 55. — 9. Tit. 5, in pr. et 17, supr. — 10. d. tit. 5, in pr. et 17, 1. feud. 24, § 2. — 11. Fac. L. 19, D. d. SC. Sila. ian. Tit. XXII. — 1. 1. feud. 24, in pr. 52, in fin. 55, in fin. pr. et 97. — 2. 1. feud. 55, in fin. — 3. Adde L. 2, § 5, D. si quod edictis; L. 9, l. 20, D. de procuratorib.; L. 17, D. de

convicta culpa: quæ sit laudanda per iudicium parium suorum, sicut supra diximus. Si autem dixerit miles, quod sui pares inique judicassent, miles in possessionem maneat per sex hebdomadas: et ad nostram veniat presentiam cum illis, qui laudamentum atque iudicium fecerint, et ante nos definiemus.

TIT. XXIII.

DE CONTENTIONE INTER DOMINUM ET VASALLUM DEINVESTITURA FEUDI.

Si quis miles in possessione sui beneficii fuerit, et dominus investituram negaverit: miles affirmet per jusjurandum, si potuerit, quod suum sit beneficium per investituram domini sui: et si dominus possiderit, et miles sic dixerit, quod investitus fuerit a domino suo, et dominus negaverit: adhibeantur pares illius, et per ipsos inveniantur veritas: et si pares non fuerint, veritas inveniantur per dominum: quia non est bonum, ut veritas denegetur.

TIT. XXIV.

QUEMADMODUM FEUDUM AD FILIAM PERTINEAT.

Si quis sine filio masculo mortuus fuerit, et reliquerit filiam: filia non habeat beneficium patris, nisi a domino redemerit. Si autem dominum ei dare voluerit propter servitium et amorem patris: non revocatur ab ullo ex parentibus suis, neque damnetur.

TIT. XXV.

QUIBUS MODIS FEUDUM CONSTITUI POTEST.

Sciendum est, feudum sine investitura nullo modo constitui posse, etiamsi domino jubente quis alicujus rei nomine feudi possessionem nanciscatur, et teneat: licet tamen possessionem taliter adeptam, dum vixerit, quasi feudi nomine retinere: herede ejus in hoc jure nullo modo ei succedente.

Si dominus, qui investivit, forte sit clericus, et contigerit, ut ante moriatur, quam vasallus possessionem feudi nancisceretur: exinanitur feudum, quod generaliter in omnibus clericis, qui feudum dant, observatur.

TIT. XXVI.

SI DE INVESTITURA INTER DOMINUM ET VASALLUM LIS ORIATUR.

Si inter dominum et vasallum lis oriatur de investitura feudi, domino scil. investituram se fecisse negante: si testibus res probari non poterit, possessoris sacramento res decidatur. Idem [et] in eorum successoribus observatur. Si vero testes interfuerint, et eos vasallus ad testimonium vocaverit, eorum testimonio cum sacramento credatur. Testes vero sint pares ejus, et qui ab eodem domino feudum teneant: qui si tempore investitionis abfuerint, etiam extranei sunt recipiendi, qui etiam si veritate celare voluerint, forte amore, vel pretio, vel alia qualibet ex causa, a comite, vel a populo, jurare compellantur, quod ex ea causa falsitatem non dicant, nec vera scientes tacebunt. His enim non cogentibus eos, vasallus cum ipso domino ad imperatorem ire festinet: eique causam intimet: et quod imperator inter eos judicaverit, observetur. Si autem se venturum, vel nuncium missurum vasallus promittat: ex quo promiserit, usque ad annum quiete possideat. Si vero ad regem non venerit, vel non miserit intra annum, domini sacramento causa finiat. Et si testes sacramento jam dicto præstito se non interfuisse dixerint, domini sacramento questio terminetur. Hæc omnia etiam in clericorum

sponsalib. — 4. Fac. L. 8, in fin.; L. 14, l. 45, in fin. D. de procuratorib. — 5. L. 9, l. 25, D. d. t. — 6. Tit. 4, § 2, supr. — 7. Tit. 21, supr. — 8. Tit. 19, in pr. et 21, in pr. supr. Tit. XXIII. — 1. Tit. 4, § 2, supr. Tit. XXIV. — 1. Tit. 1, § 3, tit. 8, § 2, supr. — 2. d. tit. 8, in fin. — 3. Adde 1. feud. 15. — 4. Immo vide d. tit. 8, § 3, sed jange tit. 5, § 1, supr. 1. feud. 59. Tit. XXV. — 1. Immo vide 1. feud. 26, § 4, tit. 35, c. 2, infr. de feud. cogn. — 2. Tit. 1, supr. 1. feud. 35. Tit. XXVI. — 1. Tit. 23, supr. — 2. § 1, infr. hic tit. 23, infr. — 3. Fac. L. 9, pr. D. de testib. — 4. l. 3, D. d. t. — 5. Tit. 22, in fin. supr.